

AD

MEMORIAM GEHLERIANAM

d. XVII. DEC. MDCCLXXIII.

IN GYMNASIO RECOLENDAM

INVITAT



ET

DE SCHOLASTICA QUÆSTIONE:

NUM DOCTRINÆ LITTERARIÆ ET POPULARIS IN SCHOLIS CONSTARE POSSIT VINCULUM?

DISSERIT

JOANNES FRIDERICVS NEVMANNVS,

GYMN. AVG. GORL. CONRECTOR.



GORLICH, EX OFFICINA FICKELSCERERIANA.



x quo, prolatis in dies reip. litterariæ finibus, illiusque sacris cum hominibus omnium ordinum communicatis, plures horum mysteriis initiari quodammodo voluerunt, atque adeo duplex discipulorum genus, post finitam illam primam puerilis ætatis institutionem, morari cœpit in scholis, unum eorum, qui penitus se dare velint litterarum studiis, eorum alterum, qui negotia ceterasque res humanas obituri sint; orta est paulatim alia & nova scholarum facies, quæ, quomodo per singulas ætates, & patrum memoria & nostra, fuerit comparata, cum plures alii docuerunt, tum nos superiori anno, simili in scriptiuncula cum hoc argumentum tractaremus, ostendere conati sumus.

Quæ quidem rei scholasticæ mutatio attulit necessario rerum tradendarum augmentum, earum imprimis, quæ pertinent ad communem vitæ usum, aptæque sunt cum ceteris tum ipsis litteratis hominibus, ita, ut utrumque genus institutionis combinaretur.

Hac ratione cum nondum videretur satisfactum hominum desiderio, nonnullis in locis paratum est novum scholarum genus, quod *realium* vocabant, non prorsus ab simile illi veteri, sed tamen isti consilio, de litteratura populari & vitæ consuetudini inserviente, magis, ut opinabantur homines, accommodatum. Neque enim excludebant interiorum litterarum studium tractationemque, quid? quod ipsum litteratorum hominum ordinem rerum suarum copia ditare volebant.

Sed quoniam ne sic quidem constare sibi videbatur ex omni parte hæc ratio & faustum reddere doctrinæ popularis & litterariæ connubium, propter dissimilem utriusque conditionem; res jam eo devenit, ut ipsius divortii faciendi non obscure fiat mentio, quo suum utrique generi proprium & separatim domicilium assignetur. Cui sententiæ accessit jam auctor non ignobilis (*), cujus nuper prodiit Hafniæ elegans & subtilis de hac re libellus. In quo, dum consultum cupit militum præfectis, negotiatoribus, oeconomis, artificibus opificibusque & omnino reliquis hominum ordinibus, qui litteratorum nomen non præ se ferunt, id agit vir clarissimus, ut efficiat litteraturam popularem

(*) Fr. Gabr. Resewitz, Prediger an der deutschen Petrikirche zu Coppenhagen. Inscriptus est liber: Die Erziehung des Bürgers zum Gebrauch des gesunden Verstandes und zur gemeinnützigen Geschäftigkeit.

larem in separatis scholis tradendam, unde petere possint alumni; quantum satis sit, pro cuiusvis consilio, ne plane rudes sint & litterarum expertes, sed ut eruditionem liberalem & ingenuis hominibus dignam transferant ad vitæ elegantiam & utilitatem.

Quodquidem viri humanissimi consilium quis non probet & laudet? foret sane morosi hominis & perversi in eo quærere vituperandi copiam, quod communi usui destinatur & egregiam sui spem affert expectationemque. Sed tamen, si quis alius, nam istum quidem hac suspitione liberamus, si quis igitur hoc tale institutum eo trahere velit, ut in Gymnasiis nostris neget jam constare posse idem illud vulgaris & litterariæ doctrinæ vinculum, is quidem hanc causam nimis properanter iudicaverit. Itane enim, quæso, dissimilis est rerum natura, ut plane desperanda sit scholæ vitæque conciliatio? aut ipsius combinationis occurrit tanta difficultas, ut propter alterius partis incommodum dissolvendum sit hoc contubernium?

Ac nos quidem, etsi nihil nobis assentati videri volumus, non duximus tamen alienum ab hoc scribendi officio, revocare in iudicium hanc quæstionem scholasticam, ut, si, rerum momentis utrinque expensis, hanc funduli particulam magistris scholarum vindicaverimus, ostenderemus deinceps, qui fructus redundent in vitam ex illo doctrinæ litterariæ & popularis in scholis consortio. Sed de hoc quidem loco verba facturi sumus in ipsa panegyri Gehleriana, cui jam præludere quodammodo voluimus hac primæ illius partis disputatione.

Primum quidem illud quærendum esse videtur, quænam sint illa, quæ pertineant ad vitæ elegantiam & usum, quibusque rebus censeatur illa popularis litteratura, quæ venit in causam disceptationemque.

Ac si res iudicari debet ex cultiorum hominum consensu & scriptorum elegantissimorum auctoritate, latissime patet hæc institutio, comprehenditque rerum plurimarum & gravissimarum ambitum, ut mirum videri possit, vel tantum thesaurum, ex tot artibus studiisque collectum, destinari vulgo, vel iuveni ætati tantum oneris imponi, quantum vix ferre valeat virilis. Ut enim nihil nunc dicam de religione morumque præceptis, quorum utrumque primum locum obtinet in quovis doctrinæ genere, cum litterario illo, tum hoc vulgari; discendæ sunt e linguis neotericis illæ imprimis, quæ nunc maxime in vitæ consuetudine & in conficiendis negotiis usurpantur, gallo-francica, anglica & italica: tenenda est patriæ historia, geographia; cognoscenda historia naturalis, mathesis, physice, graphice, architectura: inspicienda sunt artificum opera: contemplandi typi & proplasmata: accedat eodem oportet quædam rei rusticæ, metallurgicæ & nauticæ scientia. Nec negligi debet habendi corpo-

ris humani & bene conservandi cura. Nam quid ego dicam de ingenii orationisque conformatione? quæ vel maxime nunc solet requiri ab illo politiori hominum genere, quod vitæ vult disci, non scholæ: de illa dicendi scribendique elegantia & venustate, quæ, etsi plurimum valet natura & ingenio, ornatur tamen, alitur & conformatur præceptis cognoscendis, bonisque libris legendis & interpretandis. Quæquidem omnia quis non videt magna esse & difficilia, cum ex iis rebus universis constet hæc popularis doctrina, in quibus singulis elaborare permagnum est.

Jam vero, si vel maxime fateri velimus, fieri posse commode, ut harum rerum tractatio sejungatur ab illa litteraria institutione in scholis usitata, & in novas scholas easque separatas a nostris transferatur; licebit tamen quærere, discidium illud futurumne sit vel ob ipsarum rerum dissimilitudinem, quæ vitæ nullum esse sinat cum schola commercium, vel ob incommoda utrique generi inde metuenda. Nam de utroque reliquum jam est, ut singulatim dicendum esse videatur.

Ac rerum quidem naturam si contemplamur, tantum abest, ut disjunctæ sint, ut arctissima potius colligatione inter se contineantur. Quid enim? litteratum hominem, h. e. eruditum optimis artibus litterisque, & in liberalissimis studiis versatum, num hodie dicemus ignarum esse posse præstantissimarum rerum, quæ pertinent ad vitæ cultum usumque? Num rudem in disciplinis mathematicis & physicis, in artibus, patriæ historia? Num expertem vitæ consuetudinis rerumque civilium? Immo vero ipso nomine eruditus profitetur, se nihil istorum omnium iudicare a se alienum. Et profecto tanta hodie est litteraturæ vis, tam immensa magnitudo & varietas, ut complectatur omnes humanæ vitæ partes. Neque vero recondita latet & abdita in scholis, sed in medio posita est atque in ipso usu communi hominumque more & sermone versatur, ubi virtutis suæ & præstantiæ non parvam laudem invenisse sibi videtur, si popularis sit & habeatur. Fuit quidem olim tempus, cum litterati homines ipsi secernerent sese a vulgo, ac in litteris id maxime excellere putarent, quod longissime disjunctum esset ab imperitorum intelligentia. Erant enim fere omnes ad eandem formam educati. Suis vero litteris & propriis exculti, & iisdem mysteriis initiati, plurimum utebantur lingua, reliquæ turbæ ignota. Quo fiebat, ut nec ipsi admodum se demitterent ad cognoscendas tractandasque res in communis vitæ usu positas, nec vero illiterati, quod intelligere non poterant, e doctorum hominum commercio petere magnopere curarent. Sed illud scholæ vitæque discrimen jam sublatum est hodie, nec ipsæ artes & litteræ arctiori cognationis vinculo inter se continentur, quam quo cum ceteris humanis rebus colligantur. Quid? quod omnes fere eruditorum hominum

num

num scientiam metiri solent hodie ex sola illius cum vita vel similitudine vel cognatione & ipsam eruditionem ponere in uno propemodum rerum naturalium studio, quod cum maxime viget.

Et vero, in hac tanta multorumque studiis celebrata scholæ & vitæ similitudine, erit quisquam, qui litterariam in Scholis & Gymnasiis doctrinam nolit esse popularem? qui eam privet illa laude, qua maxime voluit commendari? qui denique scholarum magistros cum discipulis suis detrudat in latinitatem, nescio quam, aut græcitatem tanquam in pistrinum quoddam?

— — Sed non is vultus in illis,
Non ea nobilitas animo est, ea gratia formæ,
Ut poenam mereant servili scelere dignam.

Nec sane timendum est, ne forte denuo revocetur in scholas tristis illa doctrinæ sterilitas & pauperies, cum agelli scholastici semel efflorescere coeperunt & redundare ex hac communi vitæ humanæ ubertate. Læta enim sunt omnia, nec defunt illa popularis elegantix ornamenta omnium usu & sermone celebrata. Quæ qui hic viderit, non in alium quendam terrarum orbem se delatum putet, sed admissum ad jucundum aliquod spectaculum, quod referat vitæ imaginem. Quod fortasse in his scholis non ita comparatum esse arbitrati sunt, aut comparari posse non sperarunt illi populares, qui, patrum & nostra memoria de vitæ & scholæ dissimilitudine & de litterariæ doctrinæ insolentia questi, secessionem facere maluerunt & novas rerum suarum sedes sibi quære, quam in paterno avitoque domicilio salubre tentare copulati utriusque generis temperamentum, quod jam satis commode vel sponte factum est vel quæsitum consilio & industria.

Sed hoc quidem, quoniam res ipsa loquitur, facile nunc omnes fere nobis concedunt ac fatentur, in scholis passim tradi juvenibus, una cum antiquis illis litteris, plura ex his artibus & disciplinis, quæ quodammodo pertineant ad communis vitæ usum, quibusque adeo vel ipsi litterati hodie plane carere non possint; ipsas autem foederis ac iuitæ societatis leges, omninoque rei modum temperationemque vituperant, propterea quod neutri parti satisfiat. Sive enim in eorum gratiam, qui se penitus dare velint litteris, ratio habeatur subtilioris doctrinæ, etiamsi alterum illud populare disciplinarum genus non negligatur plane, id ipsum tamen mancum esse aiunt & mutilum, quod multa relinquat inchoata & imperfecta & satis afferat ad excitandum, ad fatiandum parum; sive magister potius inserviat illorum commodis, qui, relicta scholarum subselliis, alia omnia acturi sint, fore, ut altera pars defraudetur suo iure & consequatur solidioris eruditionis jactura. Quare, cum hæc doctrinæ lit-

terariæ & popularis societas tantis labore incommotis, desperandam esse in scholis, quales nunc sint, earum conciliationem, qualem, qui vitæ humanæ consultum cupiant, votis exoptent.

Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas,
Et vanum sequitur contraria studia vulgus.

Quodsi igitur prohiberi jam nequit, quominus, quemadmodum olim patres plebs romana, secessione facta, deseruit, nec nisi efflagitata tribunitia potestate in urbem redire voluit, sic a nobis desciscant popularis doctrinæ auctores, donec veteris patrocinii vis moderata & cognita eosdem fortasse reducat; quid interim fiet apud nos illi tentatæ litteraturæ & popularitatis concordia? Tantisne ea laborat incommotis, ut ne hic quidem litterariæ & vulgaris doctrinæ vinculum diutius constare possit? Namque hoc alterum erat causæ momentum, quod, quam vim habeat, reliquum est, ut expendamus.

Scilicet hæc utriusque generis moderatio ipsa sibi adeo non satisfacit, ut vel manca sit, vel alterutrius partis necessario afferat jacturam. Res sane explicatu probatuque difficilis? Quicquid enim illius attigeris, ulcus est. Libere tamen, quid sentiam, respondebo.

Ac in universum res et causa mihi quidem videtur vocata fuisse in invidiam, vel utriusque partis nimio ardore & studio, vel ipsius consilii ambiguitate. Nam, ut ab hac primum exordiar, quo tempore philosophiæ popularis doctrina & usus h. e. omnis mathematicarum & physicarum disciplinarum ambitus, artiumque liberalium & omnis elegantia cum plebe communicatio primum late patere cœpit & suo æstimari pretio; res arrepta est cupidissime a quam plurimis diuturnam quasi sitim restincturis. Quod non ita intelligendum est, ac si tum uno haustu omne vulgus traxerit vastum illarum disciplinarum oceanum, aut litterati homines eum civibus omnem in compendiolis suis, tanquam in poculis, propinarint & infuderint. Sed, quod intelligere poterant e libris elementaribus, & vitæ humanæ commodis mirum quantum congruere videbant, id eorum quisque, ne tantis bonis & ornamentis diutius carerent, excerpfit & in usus suos convertit. Quo major deinde honos habitus est & amplius statutum illis, quas dixi, disciplinis pretium, quod sane merebantur, eo magis etiam sibi plaudere cœpit illud vulgare hominum genus & jactare compendiarias suas copiolas, quas paulatim ipsi pro una, plena & solidiore eruditione venditabant. In quo decepit eos intelligendi facilitas. Nam, quod ipsi, jam facti homines rerumque usu quodam subacti & olim in scholis puerili institutione usi, nullo negotio comprehendebant, id puerilem aliquem ludum esse putabant ipsique tenerrimæ ætati accommodatum. Hortari igitur
jam

jam quisque liberos suos ceterosque, quos caros habebat, ut, abjectis tandem libris latinis & græcis, & repudiata pædagogorum doctrina, ad hos thesauros se conferant, hanc animo complectantur sapientiam, neque iis aut præceptis, aut magistris, aut exercitationibus, quibus utantur scholastici homines, sed his adminiculis se id, quod expetant, consequi posse confidant. Hinc illa doctrinæ popularis in scholis efflagitatio, quæ tantas controversias excitavit utrinque ingenti partium studio agitata, dum neutra concedere vellet alteri & ambae sibi viderentur certare pro aris & focis. Quiquidem animorum calor postquam paulatim cœpit defervescere & locum dare prudenti rationis arbitrio de utriusque partis postulatis cognoscenti; tum quidem animadversum est, quam graviter peccari soleat iliacos intra muros & extra. Nec fieri potest, ut hæc lis componatur, nisi cognita & dijudicata utriusque generis calumnia.

Ac magistrorum quidem in Gymnasiis foret sane magnus stupor, si jam velint excludere e cancellis scholasticis has ævi nostri lautitias, & in hac elegantis doctrinæ abundantia clamare & queri de novarum rerum studio, tanquam futores veteramentarii & circulatores, quos male habeat seculi nostri fastidium. Et profecto, si satis valent ingenio & ipsi fuerunt liberalium artium studiis exculti, iidem erunt quam maxime popularis doctrinæ auctores & adjuutores.

Sed ex altera parte occurrit difficultas haud paulo major ex verbi controversia, quod sunt, qui popularis doctrinæ eam vim esse putent, ut nihil non ex ipsa vitæ consuetudine & communi usu, omni ætatis discrimine sublato, transferatur in scholam, & ut ipsa artificiorum opificiorumque varia genera tradantur & negotia tractentur. Quæ ratio, si obtinuerit, miram sane conciliaverit scholis faciem, paucis abhinc ætatibus conspiciendam. Neque enim dubium est, quin, si scholasticus quidam somniator, quemadmodum civilis ille Parisinus (*), ultra septingentos abhinc annos visus sibi somno oppressus, seculo, quod proxime futurum est, fuerit expergefactus, videat in his ipsis Gymnasiis nostris disci & tractari artem veterinariam, aut quamvis aliam huic similem. Nimirum hoc popularis doctrinæ consilium, quod quidam illius patroni tantopere commendant, aperte valet eo, ut operarii quidam instituantur. Sed, si scholæ tribuimus omnia, quid tandem relinquatur vitæ? Et quid dicam de eo, quod hæc ratio haud sane conveniens est & congrua ipsi naturæ humanæ & vitæ? Nimis enim accelerat ætatis viriumque ingenii & corporis maturitatem, quæ adjuvanda erat iis litteris & disciplinis, quibus pueri & adolescentuli informari solent ad humanitatem. Nemo unquam floruit vera eru-

ditionis

(*) In libro famoso, qui inscribitur: l'année deux mille quatre cent quarante.

ditionis popularis laude h. e. elegantis vitæ & optimarum rerum scientiæ & usus, nisi qui his humanitatis litteris ad eam fuerit formatus & excultus. Egregia scilicet elegantia, quæ nihil differat a cujusvis de circulo operarii virtute & laude, quam petere statim poteras ex quavis taberna! Et hujus comparandæ causâ novas nunc condunt scholas & tantis sumtibus alunt? Has celebrant & populari doctrina liberalissimisque artibus & studiis affluere dicunt? Quam rectius fuerat, & seculi nostri genio, doctrinæ sumtibus parcendis maxime intento, accommodatius, uti eodem bono, in scholis haud magnis impensis parabili, ibique habere humanitatis litteras doctrinæ popularis administras elegantissimas & comites, e quarum contubernio reportari poterant præclara rei rusticæ, militaris, negotialis artificialisque ornamenta.

Quid igitur impedit, quo minus constare possit in scholis doctrinæ litterariæ & popularis vinculum & conservari societas? Quid tandem? nil nisi vanum istud ineptæ latinitatis & graecitatis terriculum. Nam ipsæ quidem litteræ latinae & graecæ vel maxime sunt populares, nec quenquam male habere possunt, propterea quod iis continetur & traditur quicquid in vita elegans habetur, præclarum & utile.

Sed de hoc quidem plura dicentur a nobis in oratione, *memorie Geblerianæ* in Gymnasio recondendæ, sacra, cujus argumentum in ipso hujus scholasticæ quæstionis ingressu supra indicavimus. *Magnificum igitur reip. Senatam, summe reverendos Sacerdotes, Amplissimos Gymnasii Magistros & Collegas & omnes rei scholasticæ Fautores*, submisit, reverenter officioseque rogo, ut, si & possint & velint, sua præsentia & me dicentem honorent & tres chori Symphoniaci Alumnos:

Carol. Traugott Hoffmannum, }
 Christian. Traugott Ullmannum, } Gorl.
 Jo. Frid. Samuel. Schmidium, }

istum quidem primum: *de molli teneroque in studiis litterarum sensu*, alterum illum: *de scriptorum ingeniosorum venustate bonis moribus periculosa*, tertium hunc: *de studio matheseos virtutis quodam adminiculo*, patrio sermone deinceps declamatorios benevole indulgenterque audiant. Quodsi iis licuerit & commodum sit, convenient crastina luce die xvii. Dec. hora nona in acroaterio primi ordinis. P. P. d. xvi. Dec. 1773.

❖❖ ❖❖ ❖❖]

Amplissimos Gymnasii Magistros & Collegas & omnes rei scholasticæ Fautores